

lior est quām natura, nec sequitur eam, licet multum laboret. Sciant verò artifices Alchimiæ, species rerum transmutari non posse: sed similia illis facere possunt, & pingere rubeum citrino, vt videatur aurum, & album pingere colore quo volunt, donec sit multum simile auro vel æri. Post quoque plumbi immunditias abstergere, ipsum tamen semper erit plumbum, quamuis videatur argentum. Sed tunc optimè erunt in eo qualitates aliæ, vt errant homines, vt qui accipiunt salem, & salem armoniacum. Cæterū quòd differentia specifica tollatur ingenio, nō credo possibile, & non est quòd complexio vna in aliam conuertatur: quia ista sensibilita non sunt differētia, qua permutatur species, sed sunt accidentia, & proprietates. Differentiæ autem eorum non sunt cognitæ, quia cùm differentia sit ignota, quomodo potest sciri vtrum tollatur necne, vel quomodo tolli possit? Sed expoliatio accidentium, vt vaporis & coloris, ponderis, vel saltem diminutio, non est impossibile: quia contra hæc non stat ratio, sed proportio istarum substantiarum non erit eadem in omnib. Hæc igitur in illam permutari non poterit, nisi fortè in primam materiam reducatur, & sic in aliud quām priùs permutantur: hoc autem per solam liquefactionem non fit, sed accidunt ei res extraneæ.

Mineralium Auicennæ finis.

CIVIS DAM EPISTOLE,
que Alexandri Macedonum Regis nomine
circumfertur, interpretatio, abditam Philo-
sophici Lapidis compositionem sapienti-
bus acutissimè declarans.



ALEXANDER in Epistola de arte Solis tra-
ctans ad imaginem & similitudinem mun-
di, breuiter dicit, quòd habeas fundari in
ista demonstratione: ostendit enim quòd
ars deriuata est ex creatione hominis, cui
omnia insunt. Nam quicquidmodum minor mundus